



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

D[omi]nica Reminiscere. Euan. Egress[us] Jesus secessit in part. Mat. 15.
Homili[æ] du[æ]

urn:nbn:de:hbz:466:1-35308

minem uides obsessum, caue illum iudices temetē, quando potest id alicui cōtingere sine omni peccato, sicut sancto abbati Moyss̄ euenit, qui cum paulo duri⁹ increpasset **Obsessus.** reprehendissetq; dictum Macharij, obsessus est à diabolo. Neq; em̄ raro permittit deus bonos & sanctos uiros corpore grauiter affligi ex leui aliqua causa, sicut ille propheta, qui ad Ieroboam mittebatur, cui & præceperat deus ne comederet panem, neue biberet uinum in uia. **3. Reg. 13.** Venit autem ad eum alius propheta, dicēs: Et ego propheta sum similis tui, & angelus locutus est mihi in sermone domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem & bibat aquam. Ille nimium credulus, fide data deceptus, non multo post à leone iuxta uerbum domini dilaniatus est. Quid quod sanctus Augustinus refert **li. 21. c. 74** innocentes quoq; pueros, id ira permittente deo, à demō **de ci. dei.** nibus uexari? Vtiq; non aliam ob causam, nisi ut sic nobis deus miseriam uitæ huius calamitatem declaret, in quam per lapsum Adæ incidimus.

¶ Et hæc de materia tentationis dicta sufficiāt, in qua assiduo omnis uita nostra nobis terenda est aduersus carnem, mundum & diabolum, qui nos seducere conantur malis concupiscentijs in hoc mundo, in quo præter concupiscentiam carnis & oculorum, ipsamq; adeo superbiam uitæ, nihil est. His nos resistamus fortiter, nunc sanctis **1. Johan. 2** precibus, nunc elemosyna, aliàs contemplatione sacre scripturæ, & reliquo dei cultu, humilitate: & sicut caput nostrum Christus, diabolum uicit, ita nos quoq; deprece mur dominum, ut hoc sacro ieiuniorum tempore reconciliari deo, ab omnibus peccatorum uinculis liberemur, hic gratiam & misericordiam, illic uero in gloria & felicitate perpetua, quam nobis concedat, qui est benedictus in æuum, Amen.

DOMINICA SE

CVNDA QVADRAGESIMAE,

super Euangelium

Matthæi. XV.

Marc. 7.



In illo tēpore: Egres-
sus IESVS secessit in
partes Tyri & Sidonis.
Et ecce mulier Chana-
næa à finibus illis egres-
sa, clamauit, dicens ei:
Miserere mei domine fi-
li David, filia mea male
à dæmonio uexatur.
Qui nō respondit ei uer-
bum. Et accedētes disci-

Marc. 7.

puli eius, rogabant eum, dicētes: Dimitte eam,
quā clamat post nos. Ipse autē respondens, ait:
Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt do-
mus Israel. At illa uenit & adorauit eū, dicens:
Domine, adiuua me. Qui respōdēs, ait: Non est
bonum sumere panem filiorum, & mittere ca-
nibus. At illa dixit: Etiam domine, nam & ca-
telli edunt de micis quæ cadunt de mensa domi-
norum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi:
O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis.
Et sanata est filia eius ex illa hora.

HOMILIA PRIMA.

PAulo ante hoc euangelium Matthæus refert, quō
Christ⁹ pharisæos increpauit de hypocrisi, ipsorūq;
uanis institutis aduersus præcepta diuina. Hinc sta-
tim sequitur historia euāgelica. Scribis namq; sic & pha-

hierony.
matth. ii.

rifais calūniatoribus derelictis, trāsgredis in partes Tyri & Sidonis, ut Tyrios Sidoniosq; curaret. Vbi tu si attēderis diligēter, uidebis mystico qdā intellectu hic Christū p̄figurasse, q̄ sic q̄q; apli sui sancti induratos relicturi essent Iudæos, & gentibus p̄dicaturi euangelii. Id inde colliges, qm̄ hic antea iā sustulerat Christus ceremonias & obseruationes ciborum Iudæis in lege prohibitorum, porcorū, leporū, camelorū, anguillarū, ciconiarū & similiū, quæ omnia uno hoc uerbo infregit, cum dixit: Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit inde, id coinquinat hominem. Statim post hæc secessit ad gentes. Eodē plane mō usuuenit & contigit Petro, qui edoctus primum est legem illam de animalibus immundis esse abrogatam, cum uideret linteum & in eo omnis generis animalia, audiretq; uocem dicentem sibi: Surge Petre, occide & manduca. post hæc tandem Cæsaream missus est ad Cornelium. Ita hic quoq; prius docuit Christus, deinde secessit ueluti clam & latenter propter obstinatos Iudæos. Igitur & Marcus dicit: Surgens abiit in fines Tyri & Sidonis & ingressus domum, neminem uoluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim ut audiuit &c:

Leuit. 11.

Matth. 15

Actuū. 10

Marc. 7.

¶ Verum hic iam quæstio emergit, quoniam Christus iam ante præceperat apostolis, ne ad gentes & in Samari tanorum ingrederent ciuitates, cur ipse eis suo aliud declarauit exemplo, quā docuerat? Ad hoc responsurus Chrysostomus: Primum, inquit, illud adducemus, quia non tenebatur ipse quæ discipulis seruanda præcepit, omnino conseruare. Verum id quidem est, nam ipse legislator, deus erat, legibus nō subiectus, sed solutus ab illis. & tamen, ut inquit Imperator, uox hæc est principē digna, ut se quoq; fateatur uelut uinctum legib⁹. Sed & Lucas de Christo dicit, q̄ inceperit facere & docere. Dat igitur præter hæc Chrysostomus adhuc aliā solutionem, dicens quod Christus prohibuit discipulis, ad prædicationē spectasse. siquidem ille tunc eos ablegabat ad apostolici muneris functionē peragendā, & tunc noluit eos quicquam prædicare gentibus antequam ascenderet in cælum. Vnde hic Christus nō ut prædicaturus uenit in fines gētū, sed

Chrysost.

L. digna
uox ff. de
leg.

Christus
cōtra præ-
ceptū suū.



ut per fidem mulieris huius Chananæ filiam illius curaret, per hoc quoque impietatem pharisæorum declaratur, qui in eum credere recusabant: & hic quis nondum prædicabat, excludere tamen noluit quæ sua sponte ueniebatur ad ipsum.

2. ¶ Cum iam in finibus gentium esset dominus, uenit ad eam mulier Chananæ, clamitans: Miserere mei domine fili David, filia mea male à demonio uexatur. Mulier hæc ad Christum uenire uel ex eo mota est, quæ fama & nomine Christi iam diulgabat undique, & miracula ipsius ubique in clarescebant, unde & ipsa credebat illum posse filiam sanare. Et sicut ipsa exiit de finibus, ita quilibet ad Christum uenturus, exeat oportet de finibus infidelium & peccatorum: seque reconciliet deo, cum primis iam hoc quadragesimali tempore. Neque aduersatur hic Marcus Matthæo, dum ille mulierem scribit ad Christum uenisse in ipsis ædibus, hic autem secutam eam refert dominum in uia, fieri namque potuit, ut cum iam dominum in domo conuenisset, eundem tamen egredientem & ipsa sit insecuta. Sed nos iam textum explicemus, & deinceps mulierculæ huius fidem prædicemus & uirtutem clarissimam. Principio itaque dilectissimi uerba ipsius expeditè, fidem ponderate. Non ad suæ gentis cucurrit idola, sed ad Christum dominum, quod ipsam fides tanta impulit, quamuis alienigenam, quamuis scripturarum ignaram. Fidem autem illius ex duobus colligere licet: primum, quod non secum filiam adduxit ægrotantem, quod Iudæi facere consueuerant, non credentes Christum etiã absentem curare aliquem posse. sic adduxerunt cæcum apud Marcum, uariosque infirmos in Matthæo, paralyticum quoque apud Lucam, quem & per tectum immiserunt ante faciem domini: qui Iudæorum mos adeo præualuit, ut electæ quoque sorores duæ Magdalena & Martha, mortuo sibi fratre, dicerent ad dominum: Si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Aliter autem hæc muliercula, quæ non adduxit filiam suam secum, imò nec orauit Christum uti ad se ueniret, coram filiam suam sanaturus, quod regulus ille fecit. Vnde constat fidem illam habuisse tantam, ut crederet ipsum solo uerbo uel imperio curare posse filiam, ideo non petiit corporalem illius præsentiam, sed magna fortique fide tantum clamauit

Fides
Chana-
næ.

Marc. 8.3
Matt. 4.9
Luc. 5.

Johan. 11.

Joh. 4.

ad dominum: Misere mei domine fili David, nil nisi misericordiam orat petitque, ut dominus respiciat miseri-
 feriam & calamitatem ipsius, uelut inclamitans illud Sa-
 pientis: Misere nostri deus omnium, & respice nos, & Eccl. 36.
 ostende nobis lucem miserationum tuarum.

¶ Hic quoque diligenter attende insignem mulierculæ
 huius in filiam suam amorem, illius namque malum, suum
 reputat. Discant ab illa parentes dilectionem filiorum su-
 orum, sicut enim liberi honorare parentes tenentur ex le-
 ge, ita uicissim parentes amare debent filios suos, sicut & Exodi. 29.
 Isaias dicit: Nunquid obliuisci potest mulier infantem su-
 um, ut non misereatur filio uteri sui? Huiusmodi compassio
 nem omnes quotque uere perfecti sunt homines, habent
 erga quoslibet Christianos, iuxta illud Pauli: Quis inter 2. Cori. 11.
 uos infirmat, & ego non infirmor? Ita sibi mulier hæc
 Chananæa dolorem & miseriā usurpauit filix suæ, quasi
 diceret: Misere non filix meæ, sed mei misere. Nam il-
 la insensata iacet: ego uero quam sensus morbi non fugit,
 quæ sentiens atque intelligens insanio, mille uxor aru-
 mnis. Misere igitur mei domine. ego enim infelix sum
 & moestissima mater. Beda putat, mulierem hanc credi-
 disse Christum uerum deum & hominem. dum enim do-
 minum uocat, deum fatebitur: filium Davidis appellans, ho-
 minem agnoscit. Habebat autem hoc à Iudæis, unde co-
 gnoscere potuit Messiam ex genere & stirpe David nasci-
 turum. hinc erat, quod & filium David eum appellabat,
 quamuis & Samaritani Pentateuchum Moysi receperunt.
 Qua de re aliàs plura.

3. ¶ Ad hanc tum efficacissimam fidem, tum orationem
 piā, nihil tamen respondit dominus, siquidem tria hæc Christus
 durissima illi exhibuit dominus, dissimulauit, negauit, ex
 lieri.
 pbrauit. Non tamen hæc omnia pharisaica aliqua super-
 bia, neque duritia, sed nec de scribarum supercilio, ut in-
 quit Hieronymus, qui & rationem hæc reddit, ne ipse sen-
 tentiæ suæ uideretur esse contrarius, per quam iusserat: Hierony.
 In uiam gentium ne abieritis. Nolebat enim occasionem
 calumniatoribus dare, perfectamque salutem gentium passi-
 onis & resurrectionis tempore referuabat. Beda ratios alias
 duas refert: alteram hanc, quod respondere ei distulerit Beda.

Psalm. 9.

dominus, non quia misericors medicus miserorum preces despicit, de quo ueracissime scriptum est, Desiderium pauperum exaudiuit dominus: sed ut perseuerantiam mulieris nobis semper imitabilem demonstret, quæ quo magis contempta uidebatur à domino, eo ardentius ceptis instabat in precibus. Altera causa est, quòd respondere differt, ut discipulorū quoque suorum misericordes animos, ad postulandum simul cum ea prouocaret. Tertio respondere distulit, ne daretur occasio Iudæis calūniandi, quòd gentiles in docendo uel sanando prætulit: quamuis Iudæi adfectum erga Christum habebant plane impium, dum eum contemnebant & calumniabantur, ille tamen nihil eo motus de ciuitate una in aliam perambulabat, curans ægrotos & infirmos ipsorum. Hanc autem mulierem, quæ dominum adeo & miserabiliter & humiliter deprecabatur, non exaudiuit, & multi forsitan ait hic Chrysofostomus, eorum qui audierunt, scandalum passi sunt, ipsa autem ne commota quidem fuit. Est hic Glossa quæ dicit, ideo etiã eū non respondisse, ut discipuli pro ea rogarent, ostendēs per hoc necessarias esse preces sanctorum ad aliquid impetrandum.

Chrysof.
Glossa.

4. ¶ Videntes itaq; fidem mulieris tantam discipuli, adfectumq; pium, audientes quoq; miseriam illius & calamitatem, misericordia moti sunt, & accesserunt ad dominum, dicentes: Domine, dimitte eam, adiuua, quia clamat post nos, nec aliquem clamandi finem facit, iuxta illud Isaiæ: Qui reminiscimini domini, ne taceatis, & ne detis silētium ei, donec stabiliat. latebat etiã discipulos, quid sibi hac mora. tantoq; silentio uellet dominus, uel etiã ex sententia Hieronymi, importunitate eius carere cupientes, interpellabant pro ipsa. Ex illis etiam uerbis colligit dicit beatus Augustinus, eos iam in itinere fuisse, & mulierem secutam semper clamasse. Respondens dominus discipulis, dicit: Non sum missus nisi ad oues quæ perierūt domus Israel. Non hoc intelligendum est more Lutherano secundum literam, cum utiq; uenerit Christus in redemptionem mundi, sicut uetus nouumq; testamentum undiq; satis restantur. Non est itaq; uerborum cortex accipiendus hic, sed medulla eruenda. Verum is est sensus uerbo-

Isaiæ. 62.

Hierony.

Augustin.

rum, quoniam dominus solus ipse Iudæis prædicauit, sed deinceps per apostolos suos uniuerso terrarū orbi, ad designandum Christum ipsum in propria persona apostolum esse Iudæorum: ideoq; & ut plurimum Iudæis tantū prædicauit, inter Iudæos miracula operatus est, cum Iudæis conuersatus est: gentibus omnia hæc non item, nisi personis pauculis, uel ex aduentitia & accidenti causa, ut ostenderet ecclesiam suam in gentibus quoq; fide extruendam, quod aperte etiam Paulus testatur, dicens: Dico **Roma. 15.** Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter ueritatem dei, ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare deum. quod & Iudæis ipse coram edixit Paulus, quomodo eis primū **Actuū. 13.** loqui oportuisset uerbum dei. & quoniam ad **CHRISTVM** gentes quoque pertineant, ipse apud Iohannem testatur, cum ait: Alias adhuc oues habeo, quæ non sunt **Johan. 10.** ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & erit unum ouile & unus pastor. Sed tu inter cætera mansuetudinem **CHRISTI** hic mihi considera, qui mordacissimos istos canes, luposq; rapacissimos Iudæos, oues tamen appellare non dedignatur: quos proprio uero suo nomine expressit uocauitq; David, in persona **CHRISTI** loquens & dicens: Circūdederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me. aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Et infra, **Judei** Canes multi circūdederunt me, consiliū malignantium **oues.** obsedit me. Hæc nimirum uera fuissent eorum nomina, uituli, tauri, leones & canes. Verum mitissimus dominus super hæc omnia mala ipsorum, oues eos uocat. Et forte **1. Pet. 2.** idipsum ille fecit propter bonos, de quibus Petrus: Eratis, inquit, quondam sicut oues errantes, nunc autem conuersi estis ad pastorem & episcopum animarum uestrarum: ij scilicet, qui confitebantur peccata sua, dicentes cum propheta: Omnes nos quasi oues errauimus, unus quisq; in uia suam declinauit. Ita excludente domino etiā **Isaię. 53.** am interpellationem intercessionemque discipulorum, exterrita utique grauius est muliercula, quam tamen fides illa fortissima adhuc urgebat constantius p̄tinaciusq; insistere, salutem quoq; suam quærere. Cuius exemplū nos

Luce. 18.

Joel. 2.

quoque conuenit imitari, & subinde deum inuocare, nec aliquando ab oratione deficere. Rogari enim uult deus, ideoque & Christus dixit: Quoniam oportet semper orare & nunquam deficere. Nam quis scit, si conuertatur & ignoscat & relinquat post se benedictionem? sicut iam quotidie precamur pro uniuerso Christianismo. Siquidem quod orando perseverat, nec deficit, hic saluus erit: hic per gratiam, isthic perpetua beatus gloria, quam nobis donet, quod est benedictus in secula, Amen.

¶ Ex sermonibus generalibus applica semper particulam ex materia confessionis uel ieiunii, aut de aliquo uitio principali, aut ex uno de decem præceptis.

HOMILIA POSTERIOR

*eiusdem Dominicæ secundæ
quadragessimæ*

Perambulante domino fines gentium & Chananaeorum, uenit ad eum mulier, & ardentissime deprecata est illum, ut sui misereatur. Verum ipse præter morem suum, ne respondit quidem uerbum ullum: & interpellantibus quoque pro ea discipulis, non tamen exaudiuit. At hic nondum deterrita illa, ipsum accessit dominum, eius opem implorans, & dicens: Domine, adiuua me, & quod ante uerbis ipsum uerum confessus fuerat deum, nunc factum quod exprimit, accurrens & adorans dominum: Domine, inquit, adiuua me. Quam pauci in tota erant Iudæa, qui uerum illum confitebantur, aut etiam credebant deum? Et ecce gentes eum adorant deum uiuum & uerum. Et obstinata etiamnum hodie gens Iudæorum credere recusat Messiam, quem etiam uenturum adhuc anxie, sed frustra tamen expectat, deum esse. Vides iam quomodo multo plus de Messia hæc mulier crediderit, quam quotquot nunc uiuunt Iudæi. Verum tu hic mihi uerba illius mulierculæ confer cum istis, quæ dicebat alius iste ad dominum: Si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. Quantula erat hæc fides, cum diceret, Si quid potes? dubitabat enim an id posset præstare. Non sic autem mulier hæc, quæ potestatem domini in nulla posuit dubitatione, tantum implorata ope,

Marc. 9.

miserericordiam petijt & adorauit eum. Possem hic clama-
 re aduersus neochristianos, Mulierem hanc nō tantum
 maiorem habuisse fidem, quā Iudæi, sed etiam quā
 nostrates isti hæretici Lutherani. siquidem illa adorauit
 dominum etiam corporaliter, credens in illo etiam late-
 re, quā nō uidebat oculis carnis deitatem. Isti autem
 uenerabile sacramentum, corpus Christi & sanguinem,
 nec uenerari uolūt, nec adorare, dicere nō reueriti, Chri-
 stum nō ideo hic esse ut adoret. O stuporem, o cecitatem,
 o uesaniam. Transeunti regi aut principi tuo nō exhibe-
 res honorem, etiam ea de causa nō præsentit. Quacumq;
 enim ille causa adsit, semper locum habet ista regula Pau-
 li: Cui honorem, honorem. Et tamen fateri cogunt, eti-
 am inuiti, homines isti maledici, Christum hic in sacra-
 mento esse præsentem nostri gratia aut ppter nos. Aut
 ideo ne ille præsens salutis nostræ causa minus honora-
 ret, quā ob quiduis aliud? Bene autem eis deus intelle-
 ctum suum ademit, excæcauit eos, & similes facti sunt tu-
 mentis. Neq; tamen inficias ibunt utiq;, sacramētum hoc
 à Christo esse institutum, ut eo uteremur in suam com-
 memorationem, iuxta uerbū ipsius: Hoc facite in meā cō-
 memoratiōē. Cum itaq; ipse dominus suo te pprio cor-
 pore subinde uoluit admonitum, ut recordareris illius,
 laudares eum, coleres, adorares, gratias ageres, quid ita
 insanissime de sipsis, ut nec laudes, nec magnifices illum,
 neq; adores, etiam admonentem & dicentē, Ecce adsum,
 adsum, inquā, ego, qui te redemi, qui sanguine meo pprio
 eripui de potestate diaboli. Et tu factus es, sicut equus &
 mulus, quibus nō est intellectus: transis tacitus, nec hono-
 re dignaris, nec gloria debita, quem cæli cōtre miscunt,
 quem trepidat terra, quem genua flexa horrent cælestiū,
 terrestrium & infernoꝝ. Sed audi quid David dicat: Ex-
 altate dominum deum nostrum, & adorate scabellum pe-
 dum eius, quoniam sanctum est. Dic age tu mihi, quod-
 nam scabellum dei & sanctum & adorandum putas, nisi
 illud uenerabile corpus Christi? scabellum enim dei terra
 est, iuxta illud propheticum: Cælum mihi sedes est, terra
 autem scabellum pedum meorum. Præcipit itaq; illic no-
 bis David adorari terram. Terram uero quam obsecro

Fides
 Chana-
 nec maior
 Luthera-
 nis.

Roma. 13.
 Eucha-
 ristia ado-
 randa.

psalm. 48

Luce. 22.

psalm. 32

philip. 3.
 psalm. 98.

Isaie. 66.

adorabimus aliam, nisi sanctissimam carnem Christi, carnem illam, quam ipse de mundissimo agro sancti corporis Mariæ adsumpsit, in qua cum hominibus in terra cōuersatus est, quam nobis etiam manducandā in sui memoriam dereliquit? Nemo autem, inquit Augustinus, illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Vnde quod aliud re quæso, colligas quā neochristianos istos, dum corpus Christi adorare nolunt, Christianos non esse, sed schismaticos, blasphemos, hæreticos?

Augustin.

Dent. 4.

Adoratio
Christi.

Chrysost.

Exodi. 19.

Hierony.

Symbole
sunt faci-
luna.

¶ Rectiorem longe fidē mulier hæc habuit Chananea, ut quæ corporaliter etiā dñm adorârit, deum ipm eē nō dubitans. Deū enim ex lege quoq; adorare, & illi soli seruire iubemur, & quia humanitas inseparabiliter à filio dei est adsumpta, ita ut ipse eam dimissurus nunquam sit in perpetuum, una plane adoratio est, quo deus simul cum humanitate Christi adoratur, ubi quamuis quælibet pro se natura in sua permanet substātia, utraq; tamen in una est persona. Neq; adhuc à priori uerbo mulier discedit, nec filia suæ, sed sibi misericordiam & auxilium quarit, ob rationes iam supra ex Chrysostomo adductas.

2. ¶ Sed nos iam quid ad hanc anxiam adeo & sollicitam petitionem dominus responderit, audiamus: Nō est bonum, inquit, sumere panem filiorum, & dare canibus. O sermonem CHRISTI durum & acerbum, quo ille Iudæos filios, gentes canes appellat, secundum illud utiq; quod & dixerat in lege deus Iudæis: Si audieritis uocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculiū de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & uos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Itaque quos iam ante ad apostolos loquens, oues dixerat, nunc cum muliere uerba faciens, etiam filios uocat. Per panem autem uerbum dei intelligit, miracula quoque & quicquid in uniuersum salutis nostræ commodum est. Sed interim canes ethnicos, propter idololatriam appellat, quoniam ih̄esui sanguinis dediti, cadaveribus mortuorum ferantur in rabiem, quorum exemplo ethnici quoque multo sanguine in sacrificijs utebantur. Posset ad longum induci, quomodo gentiles, hæretici, breuiter impij omnes canes sint, iuxta uarias canum proprie-

tates. siquidem canes uoraces sunt, libidinosi, contenti-
 osi, æqualem non ferunt, lambunt se ipsos: quicquid uo- *Heretici*
 muerint, deuorant rursus, in rabiem facile aguntur. hæc *canes.*
 tu si uoles, applica ut lubet. Ideo nanque sicut hic eis pa-
 nem prohiber, ita alibi ne sanctum canibus detur, graui-
 ter uetuit. Paulus quoque pseudapostolos & doctores *Matth. 7.*
 prauos, canes uocat, qui sectas faciunt, & Christianam scin *Philip. 3.*
 dunt unitatem. ita enim ad Philippenses: Videte, inquit,
 canes, uidete malos oparios, uidete cõcisionem. Et ueci-
 re utique canes n̄ sunt, allatantes tantum euangelium
 CHRISTI, honestam omnem ordinationem perturban-
 tes, uentilantes & blandientes cauda, interimq; morden-
 tes dentibus, hæreses suas & uanissimos errores blandis-
 simis ingerunt adulationibus, & prætextu ac fuco boni,
 simulque assiduis corpus & animam moribus impetunt,
 atque in rabiem aguntur quàm ocysime. quod nunc in
 nostratibus neochristianis proh dolor nimium uidemus
 & experimur, quos etiam ideo angelus expellit, dicens: *Apo. 22.*
 Foris canes & uenefici & impudici & homicidæ, quo no- *Judei ca-*
 mine maxima quæque uitia per canes in sacris literis de- *nes.*
 signantur, sicut dicit Isaias propheta: Canes impurissi- *Isaie. 56.*
 mi nescierunt saturitatem. Sed hic tu quisquis uere pius
 es, contemplare diligenter, quantum gratiæ tibi nobisq; *Hierony.*
 adeo omnibus qui ex gentibus sumus conuocati, fece- *Exodi. 4.*
 rit deus per magnam misericordiam suam. Ecce lu-
 dai oues erant & filij dei, imò & primogenitus Israel.
 & facti iam sunt canes, furiunt atrociter aduersus euan-
 gelium, latrant, mordent contra CHRISTVM, fa-
 melici in gratia & donis cælestibus, iuxta illud Psalmi: *Psalm. 58.*
 Conuertentur ad uesperam, & famem patientur ut ca-
 nes, & circuibunt ciuitatem. Vicissim maiores nostri gen-
 tiles erant & ethnici, canes ideo appellati hic à CHRI-
 STO: nos tamen per gratiam & misericordiam diuinam
 cum maioribus & parètib; nostris facti sumus filij dei,
 sicut & uerbum illud caro factum, potestatem dedit o. *Johan. 1.*
 mnibus hominibus filios dei fieri, ijs qui credunt in no-
 mine eius. ut iam nos quoque possimus dicere cum Dau-
 de, Hæc illa est mutatio dextræ excelsi. Quia quod quæ- *Psalm. 75.*
 rebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem con- *Roma. 11.*

secuta est. Tantum caueamus diligenter, ne rursus efficiamur canes per hæresim aut aliam impietatem, sicut iam ante commemorauimus. Vere enim pro diuersitate fidei ordo nominum cōmutatur, ut inquit Hieronymus.

Hierony.

3. ¶ Respōdente sic domino mulieri tam duriter, illa nō tantum tolerauit hoc patienter in ipso tanquam Iudæo, sed ipsa quoque illud magna quadam humilitate cōfessa est, dicens: Etiam domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Etiam domine, canem me confiteor, & quidem pane diuino indignam. gentilis sum, sed tu tamen, qua es erga omnes pietate, paululū mihi gratiæ dona, ut sanetur filia mea.

Hierony.

Mira hic, ait Hieronymus, sub persona mulieris Chananitidis ecclesiæ fides, patientia & humilitas prædicatur. Fides, qua credidit sanari posse filiam suam: patientia, qua toties contempta, in precibus perseuerat: humilitas, qua se non canibus, sed catulis comparat. Indignam semet fatetur pane, indignam quæ cum patre gratiarum omnium adcumbar: tantum micas cupit sibi contingere cum catulis, tantisper dum per gratiam panes quosq; possit adsequi, confirmans in hoc domini uerbum, quomodo ipse quoque canem eam appellauerat. Et hæc, inquit

Chrysof.

Chrysostomus, subest ratio, cur dominus nec illi respōderit ante, nec apostolos pro ea interpellantes exaudierit. cur etiā ipsam adeo in oratiōe perseuerantē & pertinacem non audierit, non quod ei parum propicius & misericors esset, non ignarus utique se ipsam tandem exauditurum, filiamq; eius sanaturum. Verum thesaurum illum tantum fidei, patientiæ, & humilitatis sciebat in pectore illius clam latentem, eum uoluit manifestari, nosq; adeo ex ipsa discere patientiam similem & humilitatem. Quo-

Matth. 8.

modo & cum centurione egit, cui promittebat uenturum se, puerumq; illius sanaturum. CHRISTVS Iudæos laudat, filios uocat. neque eo mulier mouerur, eosdem quoque dominos appellat, se uero catulum. Contra Iudæi superbiunt, dicentes: Semen Abraæ sumus, & nemini seruiuimus unquam. hinc factum est illud quod Iacobus dixit: Quoniam resistens superbis Iudæis deus, gen-

Johan. 8.

Jacobi. 4.

tibus humilibus dedit gratiam suam.

4. ¶ Nunc tandem post pietatem tantam, tantæq; hu-
 militatis, patientiæ & constantiæ insignem declaratio-
 nem, dominus noster IESVS CHRISTVS misericordiæ
 suæ radium & splendorem fulgentissimum mulieri per-
 misit illucescere, dicens: O mulier, magna est fides tua,
 fiat tibi sicut uis. Nūc manifestat IESVS causam propter
 quam sanationem primum distulerit, nempe ut fides &
 prudentia mulieris clarescat. propterea nō statim ab in-
 itio annuit CHR. I. S. T. V. S., sed magis illam à se amanda
 uir. nunc ut fides & prudentia eius manifestetur, laudat
 eam: Magna, inquit, est fides tua. ob eam itaque fiat
 tibi sicut uis.

¶ Theophylactus hic admonet, fieri nonnunquam ut **Theophyl.**
 sanctis pro nobis intercedentibus non exaudiamur: ipsi
 autem pro nobis orantes, deinceps exaudiamur. Eius rei
 causam hanc refert Glossa, quòd deus nos in orationibus **Glossa.**
 nostris constanter uult perseuerare, ne torpeamus simul
 & tepescamus, dum omnia orantibus pro nobis sanctis
 dei recipemus. Chrysostomus hic dicit: Quemadmodū **Chrysost.**
 pro seipsa mulier orauit, ita & dominus respondens non
 dixit, filia tua sanetur, sed fiat tibi sicut uis. fides etenim
 tua maiora quàm petis posset impetrare, sicut & Sapiens **Proue. 10.**
 dicit, Desiderium suum iustis dabitur. Fides autem quan-
 tum habeat meriti, uirtutis & efficaciam, Paulus ad Hebræ
 os scribens, satis testatur. Tu uide homilias de fide. Hic **Hebræ. 11.**
 tamen aperte satis patet, quomodo tanta fuerit fidei hu-
 ius uirtus, ut dæmonium expulerit à mulieris huius filia,
 etiam absente, ut iam non mireris fidem ecclesiæ sanctæ,
 quæ communis est parens omnium nostrum, posse effica- **Exorc.**
 citer eijcere dæmonium ex infantulo, dum exorcizatur **simus.**
 ante baptismum, quando simile factum hic est in fide mu-
 lieris: quia ijs uerbis datur nobis exemplum catechizan-
 di & baptizandi pueros, quoniam hæc mulier non ait: **Remigius**
 domine, salua filiam meam, sed, miserere mei & adiuua
 me. Hinc etenim descendit consuetudo in ecclesia, ut fi-
 deles pro suis paruulis fidem deo promittant, quādo ipsi
 non sunt tantæ ætatis & rationis, ut per se fidem promit-
 tere deo ualeant: quatenus sicut fide istius mulieris sana-
 ta est filia eius, ita & fide uirorum catholicorum peccata

- Fiat.** paruulis relaxentur. Porro hac particula, fiat, Christus deitatem suam declarare uoluit: quo uerbo quicquid uisum est in mundo, omnipotenti sua uirtute creauit deus,
- Gene. i.** sicut prima statim Genesis testatur historia. Hæc quoque historia quamuis re uera ita ut legitur, creditur esse facta, doctorum tamen sententia mysticum aliquid & spiritale designat, ad eruditionem nostram: quod quando cuique pro suæ gratiæ dono contempleri facile est, breuiter tamē id ipsum libet ex sententiâ Bedæ explicare. CHRISTVS reprehensus Pharisæis, in fines secessit gētilium. Eodemq; modo deinde post passionem suam apostoli dura & obstinata ludæorum pectora derelicturi erant, & gētib; prædicaturi. Atq; ideo dicit euangelista, Mulier Chananaea à finibus illis egressa. Egredi siquidem oportebat gentiles & de finibus suis, & errores pristinos deferere, si modo gratiam nouæ fidei erant recepturi. Quomodo & Paulus conuersus iam ad dominum, & Christianus factus, proficiebat supra multos coætaneos suos. Mulier itaque hæc, totam ex gentibus congregatam designat ecclesiam: illius filia ægrota, quælibet est anima peccatrix. Gentes autem idololatria male uexabantur à diabolo, qui pro suo arbitrio tunc cum hominibus agebat omnia. pro suis igitur membris orat ecclesia, ut illuminentur intrinsecus à deo: qui quamuis errantes non statim illustrat gratia sua, perseuerandum tamen est constanter, clamandumq; ad dominum, & usq; adeo etiam intercessio sanctorum in letanijs imploranda (ubi obseruatum letaniarum etiam tempore Bedæ fuisse, cōtra neochristianos) ut ipsi pro illis de cælo clament ad dominum, tandemq; sic uel alienis saltem precibus ecclesia exaudiarur. Neque uero aliter quilibet homo agnoscens animam suam peccatis infectam, currens ad dominum, clamet: Domine, miserere mei, quia filia mea, anima illa mea, miserè torquetur à dæmonio. Idq; adeo nobis, hoc præcipue tempore faciendum est, cum nosmetipsos reconciliare debemus deo, & adeo mūdi eē ac iam recēs ex baptismo essemus egressi. Profecto enim si modo nos in oratione constanter perseuerauerimus, nec aberit, nec discedet à nobis gratia dei, quæ omnia commissa & peccata nostra

emendet, immunda sanctificet, turbulenta omnia feren-
ner: quoniam fidelis est & iustus deus, ut peccata nobis
nostra dimittat: nosq; ab omni malitia expurget, dum- ^{2. Johan. 1.}
modo sedula uoce clamauerimus ad eum, qui uiuit & re-
gnat in unitate spiritus sancti, per secula, Amen.

*Adde huc articulum de confessione, pœniten-
tia aut oratione siue ieiunio*

**DOMINICA TER
TIA QVADRAGESIMAE EVAN-
gelium Lucæ XI.**



In illo tēpore: Erat
Iesus eñciens dæmo ^{Mat. 9. 12}
nium, & illud erat mu-
tum. & cū eiecisset dæ-
moniū, locutus est mu-
t^o, & admiratę sunt tur-
bę. Quidam autē ex eis ^{Matth. 12}
dixerūt: In Beelzebub ^{Marc. 3.}
principe dęmoniorum
eñcit dęmonia. Et alię tē-
tantes, signum de cælo

quærebant ab eo. Ipse autem ut uidit cogitatio-
nes eorum, dixit eis: Omne regnū in se diuisum, ^{Matth. 12.}
desolabitur, & domus supra domū cader. Si autē ^{Marc. 3.}
& sathanas in seipsum diuisus est, quomodo sta-
bit regnū eius, quia dicitis in Beelzebub me eñ-
cere dęmonia? Si autē ego in Beelzebub eñcio
dęmonia, filij uestri in quo eñciunt? Ideo ipsi iu-

bb ij